

hom. exemplo civitatis suæ Antiochiæ, confirmat. Peccaverat illa in Cæsarem, violando et lapidando ejus in foro statuas. Quo intellecto misit Cæsar judices et milites in civitatem, ut eam condignis pœnis pleerent. Jamque fiebant examina, torturæ, cædes in reos. Hinc luctus et lamenta in tota civitate, desiit vicissim omne gaudium, risus, convivia, choreæ. Hac igitur captata occasione sic ad eos concionatur: « Quot sermones impendimus, torpidorum multos admonentes, consulentes, ut theatra et illinc provenientes lascivias dimitterent et non obtinebant, sed semper usque ad hunc diem ad illicita saltantia spectacula concurrebant, et diabolicam concionem adversus Dei Ecclesiæ plenitudinem constituebant, et hujus loci psalmodiis clamores inde cum multa delati vehementia obstrepebant. Sed ecce tunc tacentibus nobis et nihil de hoc dicentibus, sponte orchestram obstruxerunt, et circulus inaccessibilis factus est. Et ante hoc nostrorum multi ad illos currebant: nunc autem illinc omnes ad ecclesiam confugerunt et nostrum laudant Deum. Vides quantum ex timore lucri factum est? » Et mox: « Sicut in domo stante milite semper armato, non lætro, non fur, non alius quis talia mala patrantium apparere potius audebit, sic et metu animas nostras detinente, illiberalium nulla perturbationum facile nobis subrepat, sed omnes fugiant et pelluntur timoris imperio undique exactæ. » Sic ille. Idem apparet, cum in aliquam civitatem pestis insolentius grassatur. Quam ibi omnia silent et conticescunt cantica, choreæ, symposia, risus, clamores! Quantus omnium ad templa, orationem et confessionem concursus! Quis horum causa? Mortis timor. Atque hic ipse est qui continuit Susannam, ne assensum daret in nefarium opus. *Sic enim hoc egero*, inquit, *mors mihi est*, h. e. mihi velut adulteræ imminet mortis supplicium, Dan. XIII. Quinimo larva mortis ficta, seu ut alii volunt, cranium hominis mortui in mensa statutum, ut solebant facere Ægyptii, potuit convivas continere in modestia, et absterre a temulentia, ut auctor est Herodotus, lib. II. quidni Christianos idem in mortis timore coercere ab omni scelere queat? Atque hæc est concio defuncti Abelis; necnon etiam istius quem præ oculis habemus: qui si vivens prius nil nos docere potuit, certe jam nervose instruit ac docet, quam fugax sit vita hominis, quam fallax omnis caro. Movet etiam potenter ad agendam pœnitentiam et fugiendum velis remisque peccatum. Neque dubitamus eum, cum adhuc viveret, hæc omnia secum diligenter expendisse, adeoque ab beatam mortem per mortis doctrinam sese præparasse.

Nihilominus quia facile contingit, ut non omnes maculas pœnitentiam abstergamus, adeoque reatus saltem pœnæ nobis adhuc adhæreat, habemus cui pro ipso preces fundamus, etc.

CONCIO XXVII.

JUSTORUM MORS PRETIOSA, PECCATORUM PESSIMA.

THEMA.

Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.
Psalm. CXV.

Ostendit aliquando Deus Jeremiæ in visu duos ficuum calathos, in quorum uno erant ficus bonæ nimis, ut solent esse ficus primi temporis, in altero malæ nimis. Bonæ denotabant Hebræos illos, qui juxta voluntatem Dei cum Jechonia rege suo transmigrarunt in Chaldæorum regionem; malæ vero eos, qui Deo inobedientes in Ægyptum secesserunt. Illos Deus reduxit in patriam; isti vero perierunt. Hic sensus est ad litteram. Morali sensu denotant bonæ ficus justos, qui moriuntur et abducuntur ex hoc mundo cum Deo propitio et in gratia; malæ vero injustos, qui hinc discedunt cum irato Deo, et in peccati statu. Illorum mors est bona et valde bona, juxta id Psalm. CXV. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Istorum vero est mala, et quidem valde mala, juxta id Psalm. XXXIII. *Mors peccatorum pessima.* Simile quid reperitur in ficibus: quæ enim maturescunt, sunt valde dulces; quæ vero non maturescunt, uti sunt quas vocat Plinius, lib. XVI. cap. XXV. *abortivas*, sunt valde insuaves. Verum quia nos discrimen hoc tam magnum vix aut ne vix quidem advertimus: quibus rationibus id ostenditur? Id nunc exponemus.

I. Justorum mors est matura, iniquorum vero immatura. Et sicuti maturi fructus levi vento dejiciuntur ac demum sponte cadunt: immaturi autem vi avelli debent: ita justus libenter, reprobi moriuntur illibenter. De justo dicitur Job V. *Ingreddiens in abundantia in sepulcrum; sicut inseritur acervus tritici in tempore suo*, h. e. tempore messis, cum est maturum. Unde Septuaginta sic legunt: *Venies in sepulcrum, tamquam frumentum maturum, quod in tempore messuerunt.* De impio vero dicitur Job XV. *Antequam dies ejus impleantur, peribit.* Isti moriuntur cum difficultate, illi cum voluntate. Unde S. Augustinus, tract. XIX. in epist. Joan. « Sunt homines, inquit, qui cum patientia moriuntur: sunt autem quidam perfecti, qui cum patientia vivunt. Qui adhuc desiderat vitam

istam, quando illi venerit dies mortis, patienter tolerat mortem: qui autem desiderat dissolvi et esse cum Christo non patienter moritur, sed patienter vivit, delectabiliter moritur. » Illi vitam exiunt tamquam pellem suam; isti vero tamquam vestem suam. Hujusmodi erat pius ille cardinalis Reginaldus Polus, qui cum audisset Henricum VIII. Angliæ regem impium et schismaticum insidiari sibi, et quinquaginta mille aureorum constituisse sicario, qui necem ei inferret, miratus regis amentiam dixit: *Jam dudum se hujus vitæ tædio affectum mortem desiderasse, nec Henricum aliud agere, quam si quis ire dormitum cupienti, vestem velit detrahere*, Sander. l. I. de schis. Angl. E contra pinguis ille Amalecitarum rex Agag velut immaturus ad mortem, vitam quasi pellem suam ægre valde exiit, quando jam obtruncandus dixit: *Siccine separat amara mors?* I. Reg. V.

II. Justorum mors est pacata et serena, iniquorum vero turbulenta. De illis dicitur Ps. IV. *In pace in idipsum*, h. e. in spem resurrectionis, inquit Theodoretus, *dormiam et requiescam.* De istis vero dicitur Job XXXVI. cap. *Moriatur in tempestate anima eorum.* Ratio est, quia illi præviderunt antea mortem suam, adeoque ad moriendum se disposuerunt: isti vero minime, sed dum in mundi cogitationibus occupati sunt, ex improviso abripiuntur, veluti porci cum jugulantur: illi in faciem quasi adeoque suaviter cadunt: isti vero resupini in dorsum ruunt, et quia se juvare manibus objectis nequeunt, graviter terræ alliduntur. Illorum mors est quasi nubes lucida, quæ apparuit in monte Thabor circa Christum: istorum vero tenebrosa et tempestuosa, quæ tonitrua et fulmina ejaculatur. Illi enim velut filii lucis cernunt in morte bona sua opera, et serenam conscientiam: uti pius rex Ezechias, qui in extremis constitutus orabat: « Domine memento quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate et in corde perfecto et quod bonum est in oculis tuis fecerim. » Et S. Hilarion cum moriens sibi dixit: « Egrede anima mea, quid times? Septuaginta probe annis servisti Christo et mori times? » Isti vero velut filii tenebrarum recordantur scelerum suorum, ideoque perturbati et salutis suæ immemores extinguuntur; uti Nantius comes Engolismensis, qui cum in sancta loca, Deique ministros multa mala patrasset, morbo correptus et nimia exustus febre clamavit dieens: « Heu, heu, ab Heraclio antistite exuror, ab illo crucior, ab illo ad judicium vocor. Cognosco facinus, reminiscor injuste injurias me intulisse pontifici: mortem deprecor, ne diutius crucier hoc tormento. » Hæc cum maxima in febre cla-

malet, deficiente robore corporis, infelicem animam fudit indubia relinquens vestigia, hoc ei ad ultionem beati viri venisse: nam exanimum corpus ita nigredinem duxit, ut putares eum prunis superpositum fuisse combustum. Refert Baron. anno 583. ex Greg. Turon. lib. V. hist. Franc. cap. XXXVI.

III. Justorum mors est hilaris, reproborum vero tristis. Illorum est instar cyeni, qui moriens suaviter canit: istorum instar Sirenis, quæ in morte gemit. Ratio est, quia cyenus in vita nihil aut raucum et triste aliquid gemit; Siren autem vivens dulciter modulatur; ideoque jure merito vices in morte vertunt; ut cyenus cum Lazaro mendico lætetur in extremis, qui vitam duxit in miseris, e contra Siren ingemiscat moriens, qui vivens dulce cecinit. Ita qui vitam transegerunt in laboribus, ærumnis pro Deo exantlatis et lacrymis, dulciter obdormiunt in morte: contra qui ducunt in bonis dies suos, juste dolent in morte, quia descendunt ad infernum. Idem similitudine alia ostendit Ecclesiastes, cap. V. *Dulcis est somnus operanti, sive parum, sive multum comedat; saturitas autem divitis non sinit eum dormire.* Eundem in modum dulcis est mortis somnus bene operanti, justo, et sanctis laboribus fesso, sive divitiis in mundo abundet, sive pauper sit. At saturitas divitis, h. e. ejus qui mundi et carnis deliciis et divitiis se replevit, et vitam in otio transegit, nec operibus bonis vacavit, sed peccatis se impendit, non permittit ei suaviter mori: sed affligit eum. Ita S. Bernard. serm. XLI. ex parvis: « Bonorum, inquit, mors optima. Quoniam quidem fit ibi quies a laboribus, fit jucunditas de novitate, fit securitas de æternitate. Mors vero peccatorum pessima. Mala in amissione mundi, pejor in dissolutione carnis, pessima in tormentis inferni. » Ita mors justorum meta est laborum: unde Job, c. XIV. vocatur *optata sicut mercenarii dies.* Reproborum vero est initium dolorum. Illa est *fida statio securitatis, et portus quietis*, uti appellatur a S. Ambrosio, serm. de fide resurrect. ista est naufragium, et lapsus in mare tempestuosum. Hinc pii bono, et si non prorsus hilari propter mortis naturalem horrorem, saltem cordato animo mortem amplectuntur, juxta id Psalm. CCXXI. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* S. Maria d'Oigales, cum ei dictum esset: *Ibis in sancta sanctorum*, nec verba hæc utpote latina intellexisset, . em tamen advertisset, dicebat assidue jubilans ancillæ suæ: *Ibimus in sancta sanctorum, dulcissima Clementia*, (hoc erat nomen ancillæ). Et quid sunt sancta sanctorum? Nec aliud dicere poterat præ gaudio,

apud card. Vitriaco in ejus vita. S. Franciscus allato sibi a medico mortis nuntio, exclamavit: *Reverentia soror mea mors: jussitque ut fratres ejus canticum Deo pro gratiorum actione dicerent*, ut in speculo vitæ ejus, cap. CI. Contra peccatores male sibi conscii de vita turpiter acta consternantur nuntio mortis, et quasi boves ictu uno corruunt; uti fassus est impius Antiochus, quando *arbitratus est se mori. Et vocavit omnes amicos suos, et dixit illis: Recessit somnus ab oculis meis, et concidi et corrua corde præ sollicitudine, etc. Et ecce perego tristitia magna in terra aliena*, I. Macch. VI.

IV. Justorum mors est odora et gloriosa: impiorum vero fetida et infamis. Testem habemus Salomonem, Proverb. X. cum dixit: *Memoria justi cum laudibus, et nomen impiorum putrescet*. Verius id est, quam ut demonstratione egeat. Tametsi enim viri boni, dum vivunt, non raro a malis carpuntur et culpantur, post mortem tamen, prædominante vi veritatis et piorum suffragio laudibus vehuntur: impii vero, qui in vivis honorabantur, in morte vel conviciis onerantur, vel saltem oblivione sepeliuntur. In mari mortuo Palæstinæ, lucernæ ardentes supernatant, extinctæ vero mox ad ima demerguntur, teste Josepho, libr. IV. et V. de bello, Hegesippo, Plinio et aliis. Pari modo justi, quia gratia Dei accensi ardent, splendorem suum retinent, atque effundunt in posteros. Impii vero gratiæ lumine destituti merguntur et oblivione sepeliuntur. De justis habemus testimonium in Moyse Ecclesiast. IV. *Dilectus Deo et hominibus, cujus memoria in benedictione est*. Idem de Josia rege optimo, Ecclesiast. XLIX. *Memoria Josiæ in compositionem odoris facta, opus pigmentarii: in omni ore quasi mel dulcorabitur ejus memoria, ut musica in convivio vini*. Unde Babylonii cadavera humana melle condiebant ut manerent incorrupta, teste Columella, libr. II. Xenophonte, libr. V. Tali melle dulcis memoria justi conditi manent in morte, juxta id Psalmi CIX. *In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit*. Thus quoque et pigmenta odorata cum incenduntur, suavem omnibus odorem afflant: ita pii cum moriuntur, odorem bonæ famæ undique spargunt. Unde quam plurima sanctorum corpora post mortem, ante et post sepulturam, cum forte reperta et alio translata fuere, miram odoris fragrantiam ediderunt. Denique sicut musica recreat convivas, ita recordatio justorum, qui jam dormierunt, viventes demulcet atque exhilarat. Contra nomen impiorum, aut plane oblivioni traditur, aut foetorem audientibus aspergit atque nauseat; uti impii illius Antiochi, de quo I. Macch. II. ait Mathathias: *A verbis viri peccatoris ne timeatis, quia gloria ejus stercus et vomitus est*.

V. Justorum mors temporalis dumtaxat est, impiorum vero perpetua. Etenim justorum mors somnus potius est, quam mors; quia uti dormiens corpore quidem ad tempus sopitus est, animo autem vigilat: ita justorum corpora ad tempus in sepulcro quiescunt, suo tempore resurrectura, animæ tamen coram Deo semper vivunt. At impii corpore et animo mortui sunt; quia etsi resurgunt aliquando, ad mortem tamen æternam resurgent. Unde S. Augustinus, I. VI. de civit. c. ult. « Si anima, inquit, in pœnis vivit æternis, mors illa potius æterna dicenda est, quam vita. Nulla quippe major et peior est mors quam ubi non moritur mors. » Item: « Summa mors animæ est alienatio a vita Dei in æternitate supplicii, etc. » Et libro XIII. cap. XI. « In æterna pœna erunt homines nunquam viventes, nunquam mortui, sed sine fine morientes, etc. » Ratio est, quia injusti gerunt intra se fontem mortis æternæ, peccatum. Unde S. Chrysost. in Psal. CX. ait: « Pretiosa est coram Domino mors sanctorum ejus. » Alibi autem: « Mors peccatorum mala. Hoc dico malum, cum mala recedere conscientia et multis peccatorum curis onustum et gravatum. Qui enim puram habet conscientiam, is currit ad præmia, accedit ad coronam. » Qui vigilat, quando fur domum suffodit, nihil perdit de rebus suis, nec aliud damnum accipit, nisi foramen unum in muro domus; furem enim pellit. Ita qui tempore vigilans, h. e. in Dei gratia et bona conscientia constitutus reperitur, nihil aliud damni accipit, nisi quod corpus ejus perfoditur a morte: de vita æterna et bonis cœlestibus nil plane perdit. Unde tales non tam a morte, quam ab umbra mortis operiuntur, juxta illud Ps. XLIII. *Cooperuit nos umbra mortis*. De quo S. Greg. I. IV. moral. c. XVII. ait: « Quos enim constat non spiritu, sed sola carne mori, nequaquam severa morte, sed umbra mortis dicuntur operiri. » Tametsi vero videas latera morienti transfodi, imo et mortem velut furem ejus domum ingredi, non æstimes eam esse verum furem, aut veram mortem; sed umbram mortis dumtaxat, quia tibi vitam et vera bona minime auferre potest: cum vigiles animo per gratiam, cum accensa lampade velut virgo sapiens. Propterea in parabola illa decem virgines dormitasse et dormivisse dicuntur. Quod intelligendum cum discrimine: sapientes enim dormitarunt, q. d. parumper clausurunt oculos, moxque iterum evigilarunt. Unde S. Chrys. legit: *Conniverunt*. Fatuæ autem dormierunt ac plane dormierunt. In prato spiritali c. LXXII. refert abbas Palladius Alexandriæ duos unius homicidii accusatos, et velut reos condemnatos ad suspendium fuisse, senem vere reum, juve-

nem Christianum innocentem. Cæterum cum perventum est ad supplicii locum, senem petiisse ut suspenderetur versus templum Saturni, quod ibi erat dirutum: juvenem vero rogasse, ut velut Christianus suspendatur versus orientem, quo Christum ibi crucifixum præ oculis haberet. Suspensus igitur est impius senex, sed interim cursor Augustalis venit, qui juvenem Cæsaris mandato liberat. Vides hic senem a morte, juvenem ab umbra dumtaxat mortis cooptum fuisse; quia Æreus, hic innocens; ideo ille ad Saturnum, h. e. ad diabolum, juvenem vero ad Christum perrexisse. Idem vel simile discrimen in morte justorum, et morte reproborum. Illorum mors pretiosa, quia innocentes, ideo per umbram mortis ad cœlum evolant; istorum vero pessima, quia veluti rei per veram et sempiternam mortem descendunt ad tartarum. Illi ad summam gloriam, isti ad summam ignominiam. Jam quod attinet ad defunctum nostrum, non desunt nobis argumenta, quibus persuadeamur mortem ipsius, non modo non pessimam, sed nec malam; quin potius bonam et pretiosam fuisse. Quod imprimis ostendit vita ipsius laudabiliter peracta, communis omnium sensus, qui viventem norunt et amarunt, denique sedula ad ultimum conflictum præparatio, etc.

CONCIO XXVIII.

QUID AGENDUM UT BENE AC PLACIDE MORIARIS.

THEMA.

Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia. Num. XXIII.

Commune perquam multis vitium est, quod arguitur Prov. XV. *Vult, et non vult piger*. Qua vero ratione? Id explicat D. Hier. cum ait: *Recte pigri vocabulo denotatur, qui vult regnare cum Domino, non tamen pati pro eo: delectant præmia cum pollicentur, deterrent vero certamina cum jubentur*. Certe nemo est, qui non bene cupiat mori: interim pauci sunt, qui bene velint vivere; quia nimirum bene mori, felicitas est, bene autem vivere, laboriosum est. Hujus farinae erat Balaam ille, malus propheta, qui cum vidisset castra Hebræorum, quibus maledicere debebat jussu regis Balaac, vertit stylum et benedixit illis, addiditque: *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia*, Num. XXIII. Mori cupiebat cum Hebræis: sed vivere cum illis noluit: nam victus tandem

avaritia pessimum consilium dedit regi Balaac ad decipiendos Hebræos; sicque tandem in strage periit cum Moabitibus. Non absimili modo princeps quidam hæreticus aut politicus potius, teste P. Corn. a Lap. in. c. XXIII. Nam dicebat: *Malle se vivere cum Calvinistis, sed mori cum catholicis*. Verum sanius dixisset: *Quandoquidem mori volo cum catholicis, volo et cum ipsis vivere*. Pari igitur ratione dico: *Qui vult bene mori, curet ut bene vivat*. Sed quid potissimum agendum in vita, ut bonam beatamque mortem consequamur? Hoc nunc videndum. Placide ergo morieris.

I. Si ante mortem sæculo moriaris. De hoc intelligit Sanctus Ambros. id, quod legitur Apoc. c. XIV. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*. Interrogat enim Ambros. *Quis mortuus mori potest? Nullus nisi prius animam accipiat. Illi sane sunt beati, et illi mortui in Domino moriuntur, qui prius moriuntur sæculo, postea carni*. Qui mundi anno affixus est, bis mori debet, prius mundo, ut eum deserat, postea carni suæ. At qui mundo jam mortuus est, semel tantum moritur, carni videlicet. Qui in lucta non teneri et prosterni ad terram vult, sed vincere hostem cupit, vestes prius exuat, quibus teneri et ad terram affigi potest. Mors luctator nudus est; nudus ergo et ille sit, qui cum eo luctari vult. Hinc Elias e mundo discedens pallium abiecit, cum in curru igneo in altum veheretur. Ecce vero? Respondet S. Hieronymus, epist. XXXIII. ad Julian. *Elios ad cœlorum regna festinans non potest ire cum pallio, sed mundi in mundo vestimenta dimittit, q. d. mundana vestimenta ad hoc cœleste iter impedimentum ei fuissent potius quam subsidium*. Similiter S. Ambr. I. III. de virginibus explicans id sponsæ Cant. V. *Tulerunt (custodes civitatis) pallium meum*, ait. *Bene tollitur ei pallium, quæ ad Christum propinquat ut Deum visura mundo corde gradiatur*. Quando racemorum styli necdum aruerunt, sed succo adhuc pleni virent, vinum, cum premuntur, acrimonia sua corumpunt, et haustum acerbum gignunt; si vero aruerunt, indicant vas maturuisse, et dulce vinum afferunt. Ita omnino cœlestium, si mundo necdum aruit, sed acerbæ ejus succo adhuc imbutum est, acerbam et funestam tibi faciet mortem: suavem e contra, si mundo jam exaruit. Idem cernere est in aliis arborum fructibus: cum stylo eorum exsucce fiunt solis ardore, sponte ex arbore cadunt; vi alioquin avelli debent. Hujusmodi fructus ad mortem æquo et hilari animo accipiendam fuere SS. Nereus et Achilleus cum Domitilla martyres, de quibus S. Greg. hom. XXVIII. in evang. scribit: « Sancti

isti ad quorum tumbam consistimus, florentem mundum mentis despectu calcaverunt. Erunt tunc vita longa, salus continua, opulentia in rebus, fecunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace, et tamen cum in seipsa floreret, jam in eorum cordibus mundus aruerat. » Talis etiam S. Monica, quæ cum infirmaretur, mori cupiens, filio Augustino dixit: *Filii quantum ad me attinet, nulla re jam delector, in hac vita, quid hic facio?* Sicque placidissimam spiritum reddidit, apud August. in confes. l. IX. c. X. Si tu Christiane ita comparatus fueris, ausim tibi polliceri bonam, placidamque mortem.

II. Si bonam habueris conscientiam, post exactam disquisitionem. Ita enim docet Salomon, Prov. XXVIII. cum ait: *Fugit impius nemine persequente: justus autem quasi leo considens absque pavore erit.* Aristoteles, l. V. animal. c. I. scribit: « Leo in venatu dum cernitur, nunquam fugit aut metuit: sed etiamsi venantium multitudini cedere aliquando cogitur, sensim pedetentimque discedit, crebro subsistens atque respectans. » Eodem modo justus, cum in mortis periculo quasi in venatu est et a canibus infernalibus allatratur, non tamen fugit aut metuit; quia instar leonis fortissimum caput habet, Christum sibi per gratiam presentem; novit etiam vires suas: et cedit quidem mortis viribus, sed e vita non tam fugit, quam sensim se subducit. Ita S. Ambrosius ad suos cives lectum ejus circumstantes moriens dixit: *Non ita inter vos vixi, ut mori me pudeat, sed nec mori timo quia bonum Dominum habemus.* Ita Costerius, in ejus vita. En tibi leonis hujus caput forte, quia bonum Dominum habemus. Leo dormit apertis oculis, quasi in somno etiam cernat et adversarios terreat. Talis erat S. Paulus cum Act. XII. in concilio sacerdotum sibi infensorum velut inter latrantes canes vinculus stans, se defendit. Ait enim: *Ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernum diem.* Et hoc dixit: *Intendens in concilium,* ait S. Lucas, seu ut sonat vox Græca *atenisas*, h. e. *fixis oculis intuens*, q. d. animo intrepido; qui enim sibi timent, oculos demittunt, nec intueri fixo possunt oculo judices. Bona igitur conscientia sic animavit Paulum, ut judices mortem sibi machinantes nulla ratione timeret. Idem videre est in S. Petro, qui vinculus in carcere, et postredie educendus ad supplicium ab Herode, ea nocte suaviter dormivit, et tam profundo somno, ut angelus non nisi percusso ejus latere excitare eum potuerit, Act. XII. *Alte namque dormiebat,* ait S. Chrysostom. *nec arbitror, quod angelus eum percussisset, si voce excitare potuisset.* Non dubi-

tandum idem evenire aliis, qui bona pollent conscientia, ut nimirum suaviter obdormiant, et hostem illum tartareum, etiamsi forsitan tempora mortis compareat, nihil metuant, sed potius cum S. Martino jam mortuo objurgent: *Quid hic adtas cruenta bestia? Nihil in me funesti reperies.*

III. Si mortis horam et doloris sæpius prægustes, ac si fieri potest, cum apostolo quotidie moriaris, præcogitando mortem. Hoc est, quod monet Christus in parabola decem virginum, cum ait eas *obviam visse sponso*: et rursum quando *clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Qui enim obviam alicui, non vult expectare adventum ejus, sed prius ad ipsum ire. Unde auctor op. imperf. in eum locum hom. LII. sic scribit: « Sicut qui obviam vadit alicui, in via stat et expectat eum quamdiu veniat: ita qui credit in Christum, sic debet vivere in hoc sæculo quasi peregrinus: et non in suis, sed in transitu positus. Propterea et Judæi exituri de Ægypto, expediti et præcincti agnum jussi sunt manducare, et ad exeundum parati, ostendentes nobis, quomodo quicumque nostri agni eucharistiam manducant, ita debent semper esse expediti, quasi quotidie exituri de mundo. » Jam qui intrepidus hosti obviam, pavorem ei injectit: qui vero eum fugit, audaciam illi præbet. Miro modo hoc designavit Jonathas, quando ex improvise invasurus stationem Philistinorum, ad armigerum suum dixit: *Si taliter locuti fuerint ad nos: Manete donec veniamus ad vos; stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. Si autem dixerint: Ascendite ad nos; ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris,* l. Reg. XIV. Atque, ut dixit, evenit. Provocatus enim ad ascensum Jonathas, ascendit et percussit eos. Philisthæi exponuntur conspersi cinere. Statio ergo Philistinorum statio mortis est, ubi in cinere omnia consistunt. Hæsi tibi in corde tuo dixerit: *Mane, donec veniam ad te, ede, bibe, lude, securus esto, satis erit de morte cogitare, quando ea venerit,* malum hoc signum est; obrueris enim a morte, et misere opprimeris. De talibus enim dicitur: *Veniat mors super illos, et descendant in infernum viventes,* Psal. LIV. Quomodo viventes? Quia prius per mortis præcisionem mori noluerunt. At si dixerit: *Ascende ad mortem, obviam ei perge, para te ad moriendum quotidie: faustum erit signum.* Hosti enim cor et vires adimes, eumque nullo negotio superabis. Ita Christus Dominus, quando suis hostibus in Oliveto obviam ivit, uno verbo omnes consernavit, et ad terram allisit. Propterea etiam Christus, antequam ibi obviam eis, prius frequenter illuc convenerat cum discipulis suis, ut illi

S. Joannes, c. XVIII. quasi ad stadium pugnae, ut eos exerceat, et ad pugnam animaret. Ita solent equi ad hastiludium agitari, prius in hippodromum duci, ut propositam sibi statuam seu larvam crebro aspectu discant non horrere, et refugere. Tunc enim nihil amplius terri, ad oppositam sibi larvam currunt. Idem accidit iis, qui se in meditatione mortis frequenter exercent. De militiae Romanæ tyronibus scribit Vegetius, lib. I. c. XVIII. « Equi lignei hieme sub tecto, æstate ponebantur in campo. Super hoc juniores primo inermes, dum consuetudine proficerent, demum armati cogeantur ascendere; hoc enim assidua meditatione faciebant, scilicet ut in tumultibus prælii sine mora ascenderent, qui tam studiose exercebantur in pace. » Nullus est tam tumultuosus atque periculosus, quam supremus cum morte conflictus, ibi et mortis et judicis timor, et conscientiae remorsus, et vitæ amor, et morbi dolores, aliæque miseriæ morientem impugnant. Ibi in *equum mortis pallidum* (qui visus Joanni in Apocal. cap. VI. visus est, cui *insidebat mors*) insilire oportebit. Et quis hoc in eo tumultu commode præstabit, qui in tali meditatione se prius non exercuit? Illi vero milites, qui paci tempore cogitarunt quæ sunt belli, et ad hunc ascensum se probe assuefecerunt, non difficile id efficiunt. Hujusmodi miles fuit inter alios B. Godefridus ex comite Copenbergensi monachus Præmonstratensis, qui: « Frequenter sociis in itinere quolibet residendo pausatibus, ipse, quemadmodum in exequiis mortuorum membra componi solent, manus et brachia sua composuit supinus, dicens clamore intimo gemituque vehementissimo: O si veniat hora illa nostri transitus! O si ad hanc horam aptare et præparare me digneris Domine Deus meus! » Sic effectit ut venientem mortem magna confidentia intrepidus, imo vehementer exultans exciperet, fratrem suum germanum morientem verbis his consolans: « Idcirco mi frater universa propter Deum abdicavimus, quia nos ad hujus horæ necessitatem perventuros, hoc est morituros certissime noveramus, præoptantes atque satagentes, ne hujus non procella discriminis obruat imparatos. Amplectamur ergo hanc a corpore peregrinationem, faciamus de necessitate virtutem, gaudentes et gratias agentes quod de labore ad requiem, de miseria ad beatitudinem transmigramus. » Ita in ejus vita, apud Sur. 13. jan.

IV. Denique si bene vixeris, bene etiam et placide morieris. Ita enim Sapiens testatur: *Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis.* De injustis vero subjicit: *Na-*

tionis iniquæ, diræ sunt consummationes, Sap. III. Quale corpus, talis umbra. Umbra asini representat asinum, hominis hominem. Vivis ut asinus? Morieris ut asinus. Vivis ut homo? Morieris ut homo. *Vita in deliciis agens,* inquit S. Bern. serm. XLVIII. in cant. *et mors est, et umbra mortis.* Ferunt philosophum quemdam forum nundinariorum lustrasse, et inter jumenta venalia quævisisse asinum, qui pulchram equi caudam haberet: sed derisus a nundinatoribus audit: *Stulta est inquisitio tua.* Tum philosophus: *Stulti estis vos, qui post bestialem et asinam vitam, pulchram et speciosam mortem expectatis.* Refert Fr. Labara, in apparatu con. tom. II. v. Mors. Sic factum Jechoniæ, degeneri optimi patris Josiæ filio, qui librum legis, cujus lectione pater ingemuit et lacrymas fudit, scidit et in ignem abjecit; a Nabuchodonosore occisus et insepultus est abjectus, uti prædixerat ei Jeremias, c. XXII. *Sepultura asini sepelietur, putrefactus et projectus extra portas Jerusalem.* E contra Elias, quia zelo honoris divini plenus surrexit quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat, ut dicitur Eccl. XLVIII. idcirco is curru igneo et equis igneis avectus est e mundo, IV. Reg. II. Summa, qualis vox in silvam emittitur, talis reverberat, echo. Qualis vita, talis mors. Desipuit igitur Balaam ille, qui optavit bene mori, elegit interim male vivere.

Jam vero ex hoc discursu colligimus defunctum nostrum felici morte vitam quam pie et honeste vixit clausisse; adeoque etiam confirmamur in sententia nostra, quando advertimus eum placide quoque, et cum opima spe salutis animam Deo creatori suo commendasse, etc.

CONCIO XXIX.

TRIPLEX AD MORTEM DISPOSITIO.

THEMA.

Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives.
Isaiæ XXXVIII.

Inter alia Pythagoræ symbolica et sapientia monita celebratur etiam illud: *In poculi fundo residuum non relinque.* Mea sententia ad litteram, quia residuum illud tetro quodam odore poculum imbuit, et bibentibus inde nauseam parit, sed videtur sapiens ille philosophus altiori sensu doctrinam hanc intellexisse, nimirum, ut in fine vitæ nostræ nihil relinquamus, quod aliis parere fastidium, nobis vero tetrum aspergere nominis